

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Primae Lineae Doctrinae De Protestatione Cambiali

Hufeland, Gottlieb

Jenae, 1799

VD18 12256064

§. 45.

urn:nbn:de:gbv:45:1-8845

SECTIO V.

Solennia externa s. requisita instrumenti
protestationis.

§. 44.

1) *Requisita generalia.*

Ut instrumentum protestationis perfectum haberi possit, necesse est, primo quoad formam requisitis instrumenti publici munitum sit, secundo omnia ista contineat, quae ex eodem probari debent. E priori determinatione veritas et fides instrumenti, e posteriori ejusdem vis probandi nascitur, *)

§. 45.

Instrumentum publicum est, quod a persona publica conficitur. Personae publicae sine dubio sunt homines in officio publico constituti, sive sint magistratus sive non. **) Maxime vero circa hoc notandum est, neminem personam publicam haberi posse, nisi intra limites officii sui agat; ultra eosdem enim et potestas et auctoritas cessat publica. Habes ergo hic non nisi iudices et notarios, ad quos respicere possis.

§. 46.

*) cf. HELLFELD jurispr. forensis §. 1158 sqq. Disquiritur hic de natura hujus instrumenti generali. Si in legibus provincialibus s. exoticis specialia quaedam praescribuntur, applicandae sunt leges loci, in quo negotium, i. e. protestatio, conficitur. FRANCK, inst. j. camb. maniff. tit. 3. §. 7. PÜTTMANN §. 112. ibique citati. Plura jura circa formam protestationis valde discrepantia allegavit SIEGEL *Einleit. ins WR. Th. II, c. 4. §. 16.* in *ejusd. corp. j. camb. P. II. pag. 419.*

**) cf. *meine Institutionen des gesammten posit. Rechts* §. 258. 259.

§. 46.

2) *Requisita specialia.*

a) *protestationis notarialis.*

Et quidem de notariis extra dubium positum est, ab iisdem confici posse protestationum instrumenta. Sunt enim officiales publici, ea potestate, ut de omnibus, quae in sensus eorum cadunt, testimonium validum praestent, muniti *). In hoc autem protestationis instrumento nihil, nisi quod audiunt vel vident, consignandum habent. Nec opus est, ut notarii ad protestationes cambiales conficiendos speciali muniti sint permissione, quanquam etiam hoc desiderent quaedam jura particularia **).

§. 47.

Disquiritur autem porro, quaenam ad protestationis instrumentum notariale necessaria sint habenda? Equidem nullus ambigo, secundum jus commune, id est hoc loco praesertim secundum leges imperii ***), eadem omnia requirenda esse ad protestationem notarialem, quae in genere ad quodlibet instrumentum a notario confectum; quibus igitur hic nullo modo immorandum esse censeo.

Du-

*) PUFENDORF *obl. jur. univ.* T. II. *obl.* 180. CRAMER *weizlar.* *Nebenst. Tb.* 99. S. 100.

***) e. g. *Ordinatio camb. elector. Palatina art.* 21. — in SIEGELII *corp. j. camb.* P. I. pag. 396. cf. etiam *Io. Ad. BECK vom Wechselr. Kap. 4. §. 38.*

***) *Notariatsordn. v. 1512 etc.* cf. *BECK vom Wechselr. Kap. 4. §. 42.*, ubi late et ample omnia instrumenti requisita exposita invenies,

F

